



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

144. An quis possit legere libros prohibitos, si sciat certo nullum illos
nocumentum esse illaturos? Et cursim docetur peccare, & in censuram
incurrere legentes libros ab Inquisitoribus prohibitos, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

insultant, ubique Papa est Antichristus, ubique nos Idololatæ. Habeo ob oculos plurimos, quos possem allegare, si vellem, sed cur lectorem meum onerarem eorum ineptiis, si sufficiat asserere vix visum esse librum liberalem, qui hæresibus multis non scateat? Vnde concludo etiam ipsos ob doctrinam ab Ecclesia interdicti.

6. Sed demus illos interdicti in odium, & pœnam Authorum, & rogabo, quis majori ignominia, & dedecore afficiatur, illenè qui occiditur, & igni mandatur in carcere. An ille, qui conducitur per plateas Civitatis præcone ejus infamiam inclamante? Ille, qui suspensus à patibulo eadem die sepelitur, an qui juberetur in cruce remanere toto anno? Hinc transi ad libros, putarem severiore sententia condemnari librum (dicam Hispanæ, à quien se le pone un San Benito) librum, cui nigrum theta præfigitur; cui inscribitur esse authoris damnati, illum, qui legitur, ut authoris infamis, quæ qui omnino non legitur: & tamen stando Dianæ fundamentis deberemus dicere furem, qui condemnaretur exilio, & juberetur non comparere in toto regno, condemnari severius, illo, qui juberetur manere, & signum publicum, & externum ignominie portare, ut ab omnibus esse infamis, & sceleratus nosceretur.

7. Venio ad ultimam rationem Dianæ, quam esse virorum Doctorem affirmat (Illi libri ait, tamen si non sint inducentes in hæresim, sunt inductivi. Atqui finis Ecclesiæ est, ut non dentur libri, qui possint inducere in hæresim: Ergo non cessat legis finis) & ego dico quid majorem debere ab illis Viris doctis probari. Dico secundo, condonata majori adhuc falsam esse, quia illi libri non sunt respectu illorum hominum inductivi, nam ignis tamen calefactivus sit, non est calefactivus ligni amoti, nisi prius ponatur approxinatio: quæ ex parte subjecti requiritur: & consequenter illi libri tamen secundum se inductivi dicantur, non erunt inductivi respectu hominis, qui in questione proponitur quousque detur in eodem periculum, & tunc tollitur casus. Dico tertio, non omnes libros esse etiam secundum se inductivos, nam falsitas ut nocere possit debet esse similis veritati, quamobrem. Cum aliquis nimis insolenter mentitur nullum decipit, quæ nota esse volo, ut Martini Lutheri opera à libris aliorum distinguam, quis enim turbati, aut seduci poterit à viro tot ineptias, blasphemias, & injurias vomente? Quis à Doctore, qui se à Diabolo didicisse fateatur, quæ suos discipulos edocet: ille unicus, qui non legerit hos libros Martini Lutheri: nam ego Spiræ, ut quemdam amicam virum doctum ad nostram Religionem reducere, persuasi, ut aliquot Lutheri libellos evolveret, qui cepit non esse illos sui Lutheri, sed à nostris confectos, occlamare prius, à typo, anno, & suorum Ministrorum confessione convictus, dare manus posterius, malleque esse Tridentini discipulum, quam Lutheri, se à Diabolo didicisse affirmantis. Hucusque Caramuel ubi supra.

8. Verum his non obstantibus: Ego non recedo à sententia, quam olim docui, & docent communiter Doctores; Vnde adversus Caramuelem adducam hæc verba doctissimi Patris Francisci de Oviedo de fide, spe, & charitate, ubi contrav. 12. punct. 3. num. 42. sic ait: Dubitari solet an prædicta censura comprehendantur illi, qui hæreticorum libros legunt, aut retinent ex intentione confutandi errores in illis contentos, & certe nullum in illis esse perversionis periculum? Non comprehendant indicant nonnulli jurisperiti, quos refert Palao punct. 10. citato §. 2. num. 8. pro quorum sententia posset adduci opinio, quam

Tom. V.

cum aliis Theologis defendit Granados 1.2. contrav. 7. de legibus tract. 3. part. 2. disputat. 15. sect. 2. quæ affirmant cessante fine legis in particulari casu, pro ipso legem non obligare. Oppositum videlicet adhuc in eo casu excommunicationem incurrere eum, qui prædictos libros legeret, aut teneret, merito docent Suarius disputat. 20. sect. 2. sæpè citata num. 2. Sanctius cap. 10. jam citato num. 24. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 16. quest. 6. Coninch disputat. 18. dub. 11. num. 180. Puente Hurtad. disputat. 76. §. 307. Tolæus lib. 1. summa cap. 19. num. 9. Palao §. 2. citato num. 9. & apud illum Vgolinus, & Farinacius, multus est Cardinalis de Lugo à num. 63. ut hanc sententiam stabiliat effugio præcluso quod tentari posset ex sententia affirmante, cessante fine legis in particulari casu pro eo legem non obligare; Quidquid autem sit de hac opinione, cujus opposita longè communior est; existimo ad hanc materiam ab homine cordato applicari non posse, stultum enim, & superbum esset, hominem suo judicio in hac re fidere, & præsumere ab omni periculo ipsum esse alienum in materia ex se gravissima, & ingenti periculo exposita, est enim hæresis pessima, & contagiosissima lues, quæ facillimè serpit, & maximè timenda est in his qui se securos fingunt, & securitatis præsumptione ea aggrediuntur pericula, quæ Ecclesia subire prohibuit etiam Episcopis, Cardinalibus, qui ratione dignitatis, & meritum, quæ ad illas supponuntur remotiores ab hoc periculo, quam quicumque alij privati homines præsumi debent. Quapropter mihi certissimum est, neminem, prætextu securitatis posse prædictos libros legere, aut retinere etiam causa confutandi errores. Ita Oviedo, & Ego.

Vnde ex his Petrus Marchan. in Tribun. Sacram. tom. 2. tract. 2. tit. 2. sect. 4. q. 2. conclus. 1. fol. 90. recte sic asseruit.

9. Quia verò quilibet de fortitudine sua præsumere, sibi que periculosè ablandiri potuisset, generaliter Ecclesia lectionem hujusmodi librorum sub peccato mortali quibuscumque quantumvis doctis probisque prohibuit, adhibitis pœnis, quæ non nisi pro peccato mortali imponantur, nisi de illius, seu S. Sedis licentia, & auctoritate legantur, prudenter attendens, quod quamvis in individuo, & singulari respectu alicujus personæ doctrina, probitate, & constantia præstantis, nullum sit periculum: tamen quia illo prætextu advertit plurimos seduci posse, & gravissimos abusus ac pericula populo Dei imminere universaliter doctis pariter, & indoctis, lectionem librorum hæreticorum inhibuit, nisi personarum delectu facto ab iis, quibus S. Sedes eorum lectionem, & judicium concederet. Ratio igitur periculi non sumitur ab eo, quod cerè accideret personæ in individuo legenti, sed ab eo, quod Ecclesiæ, vel personis indefinitè contingere posset: quod singulariter notandum est ab iis, qui de se præsumentes quælibet audent, generalibus quibusdam axiomatibus delusi: Non attendentes, quod Deus de sua virtute præsumentes frequentius humiliat casibus miscrandis, & hæc fuit prohibitio communis in Ecclesia Dei à temporibus Apostolorum, quorum etiam Decreto libri hæreticorum, & impiorum igni adjudicati sunt.

10. Ita Marchan. cui etiam adde Petrum à Sancto Ioseph in Idea Morali lib. 3. c. 6. refol. 6. & Carenam in tract. de officio Inquis. part. 2. tit. 10. §. 5. n. 32. cum segg. Ignatium Lupum in editum Sanctæ Inquisitionis part. 4. lib. 25. disp. 3. artic. 2. diffusul. 2. fol. 466. ubi querit. An libri Hæreticorum à doctis legi possint ut eorum errores melius cognoscant, ac consultius eis respondeant?

11. Et respondet omnibus illicitum esse legere libros prohibitos hæreticorum, sed aliter doctis, aliter indoctis, doctis, qui sine periculo illos legere possunt, præcise vi præcepti illicitum est, nisi licentia Sedis Apostolicæ accedat. Cujus etiam est ante licentiam cognoscere, & judicare, An sine periculo, & cum fructu licentiam petens legere possit. Nemo enim Index in propria causa esse potest. Simplicibus verò, & ignatis duplici ex capite illicitum est, scilicet nedum ex vi prohibitionis, sed etiam ob imminens, & evidens periculum.

12. Ita Lupus, quibus omnibus adde Naldum *summa ver. Bulla Cæna*, n. 12. Pueronum in *Bulla Cæna*, c. 1. §. ac eorundem libros n. 186. fol. 136. & novissimè Hermannum Busembaum in *Theol. mor.* l. 2. tract. 1. cap. 4. dub. 3. n. 6. cum Angelo Possentio in *Recollect.* 99. *Mor. in fine tit. var.* cap. 16. n. 9. & 10. ubi ait, neque dicere quicquam valet legis cessante fine, & lex cessare debet, nam utique id procedit si lex in præsumptione fundetur, facti criminis, non verò si se fundit in delicti futuri præsumptione; ut est in casu nostro. Ergo, &c. adde cum Cesare Carena *part. 2. tit. 5. §. 5. n. 34* in nullo casu particulari, cessare periculi præsumptionem, nimirum perversionis, quando in fide, quod quis perseveret, donum Dei est. Vide adversus Caramuelem doctissimum Patrem Tamburinum in *Decal. tom. 1. l. 2. cap. 1. §. 7. num. 41.* & Bertrandum Const. in *resolut. Theolog. cum Urbano ab ascensione in Theolog. Mor. tract. 21. cap. 7. Regula 12. fol. 366.* ubi docet temerarium fore, qui hoc de se ipso iudicium, ferre tentaret in re tanti momenti, nolletque Ecclesiæ præceptis se subijcere. Ita ille.

13. Restat modo respondere ad confirmationem Caramuelis: Dico igitur, quod nostra inquisitio Hispanica non corrigit libros primæ Classis, & qui tractant ex professo de Religione; Sed cum videt aliquos hæreticorum libros, multum proficere pro literaria Republica ab erroribus expurgat, & præbet licentiam impune legendi, anteposendo publicum bonum poenæ privatz, quam illis Authoribus imposuerat. Sicet non sit parva poena pro Authore, quod liber suus legatur inustus, & cauteriatus, ac in frontispicio cum illis verbis, expurgatus secundum Indicem Hispanicum, &c.

14. Ergo non valet argumentum Caramuelis, nec ex illo sequitur, quod legi possint ab aliis libri ab Inquisitione non expurgati, & quod in ipsis non remaneat prohibitio propter periculum infectionis, & propter poenam, & dedecus Authori impositum; Nam inquisitio vult, ut sibi placeat & liber, hac æquitate cum aliquibus hæreticis, & libris prohibitis uti, quam cæteris negat, Nihil itaque nobis officit instantia à Caramuele adducta.

15. Et ideo nostra sententia expressè assertur in Bulla Pij IV. quæ incipit Dominici Gregis, registrata in principio Indici 161. qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritque; præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severe se noverit puniendum. Quovis igitur modo illos prohibitos, si ve propter hæresim, si ve propter illius suspicionem, si ve propter obscenitates legerit, si ve retinuerit quispiam non excusatur à mortali, & hanc sententiam præter Authores citatos tenet etiam Pater Bordonus in Sacro Tribunal, capite 14. quæst. 25. num. 54.

16. Quod evidenter probatur & confirmatur, nam certum est, quod Author libri hæretici à Sancta Sede vel ab Inquisitoribus prohibiti non timet ex ejus lectione erroribus infici: quia jam scit, & memoriter tenet omnia, quæ in suo libro prohibito impressit, & tamen hoc non obstante Doctores asserunt esse interdum etiam Authori legere suum librum prohibitum,

& aliter faciendo excommunicationem incurtere, & ita docet Trullench in *Decal. tom. 1. cap. 3. dub. 9. §. 1. num. 20.* Pueronius in *Bulla Cæna* cap. 1. num. 205. folio 136. Fagundes in *Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 14. n. 17.* Sanchez in *summa tom. 1. lib. 2. cap. 10. n. 37.* Vgolinius de casibus Papæ *reserv. p. 2. cap. 1. ver. ac eorundem librorum §. 1. num. 1.*

17. Videat ergo ex hoc amicissimus Caramuel libros prohibitos suspendi non solum ratione periculi, sed etiam in poenam, ut ego docui, & praxis nostri Sacri Tribunalis demonstrat.

18. Vnde doctè dixit Suarez de fide *dispo. scilicet. 2. n. 21.* quod finis legis prohibitionis librorum hæreticorum fuit, ne tales libri conferrentur, sed destruantur; Sed in casu quo vir doctus, ut vult Caramuel, licet securus de infectione illos legat, dicti libri conferuntur, & non destruantur contra finem legis, ut vult Suarez: Ergo peccabit mortaliter, & in censuras incidet; & sic ego sentio, nec aliter sentiendum esse puto. Et ita post hæc scripta inveni Eminentiissimum Logo de fide *dispo. 21. scilicet. 2. a. n. 62. usque ad num. 68.* nostram sententiam firmiter docere, & ad argumenta Caramuelis respondere, quæ necessario à lectoribus legenda esse existimo: Vnde ex his rectè docuit Thomas Hurtadus *var. tom. 2. tract. 1. cap. 5. resolut. 7. num. 63.* indistinctè, & sine ulla limitatione non esse absolventes ad confessarios retinentes libros hæreticorum. Et *tom. 1. tract. 5. cap. 6. resolut. 62. §. 2. n. 146.* docet peccare, & in censuram incidere legentes libros ab Inquisitionibus prohibitos, etiam si hæresim non continent, & contrarium asserere esse erroneum tradit Turrinus *cent. 4. dub. 17.*

19. Sed alias rationes meliores excogitabit ipse Caramuel, sicut etiam circa sequentes resolutiones; Nam ego vellem à Sapientissimo Viro (ut ora æmulatorum clauderet, quod etiam placuit Eminentiissimo Domino meo Cardinali Chiffo viro incomparabili, litterarum patrono) sicut Theologiam hanc fundamentalem, interrogatoriam, tamen, ut ipse vocat, typis mandavisset; Ita etiam quamprimum aliam Theologiam fundamentalem, responsoriam, in qua ipse ad semetipsum responderet præficeret, quando contra communes sententias disputavit. Vnde magis sic acumen ingenij sui demonstraret. Nam si mare pacificum, ut Americi loquuntur totius Theologiæ mortalis turbulentiæ videretur, postea tanquam alter facer Neptunus in pristinam tranquillitatem adduceret, & ut Achilles hasta si in dicta Theologia interrogatoria vulneraret, postea in Theologia responsoria sanaret; Ita ut de Caramuele feliciter postea omnes dicere possint, ipse percutit, & medetur.

RESOL. CXLV.

An qui legit librum Hæretici de Religione tractantem hæresim tamen non continentem, incidat in censuram Bullæ Cæna?

Et queritur etiam, quanta pars libri hæretici requiratur, ad incurrendam censuram Bullæ Cæna, si quis eam legat?

Et an si libri hæreticorum unum, aut alium continentem errorem, & ille deleatur omnino, possint sine infectione, excommunicationis legi?

Et quid, si diversi sint tom. ejusdem authoris hæretici, & unus tantum hæresim contineat, reliqui verò non contineant hæresim, an solum ille, qui hæresim continet sit prohibitus sub censura Bullæ Cæna? Ex p. 6. tit. 4. & Misc. Rel. 55.

§. 1. Negativè respondet Croulers in *Regulam S. Francisci*, cap. 7. scilicet. 5. fol. 522. ubi sic ait: Virum